



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. XIII. De satisfactione,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

pretem confitetur (quod semper licitum est) scilicet per testimonium eorum qui audierunt illum postulantem Confessarium, vel qui signa contritionis in eo viderunt; & alias Confessarius eum habet quasi praesentem moraliter, quia ille est sufficienter praesens, ut certificetur Sacerdos, ipsum non mutasse priorem voluntatem, cum videat illum carere sensu, ab eo tempore quo petivit Confessionem; & sic securè absolvi. At verò in casu Suaris, Confessarius non habet nec habere potest certitudinem moralem, quòd poenitens priorem voluntatem non mutaverit, ut supra ostensum est; quare non potest illum absolvere, nisi ratificet Confessionem quam per litteras vel internuntium fecerat, & de peccatis per litteras, vel internuntium declaratis, se dolere testetur, quod est confiteri Sacerdoti praesenti, ut supra in ultima probatione tertiæ conclusionis declaravimus. Unde licet Clemens VIII. & Paulus V. sententiam Suaris justè damnaverint, eamque ex quarto ejus tomo in 3. partem expungi & amoveri jusserint, ut ex supra dictis patet; rectè tamen postea declararunt, posse & debere Sacerdotem absolvere moribundum qui ipso absente signa contritionis exhibuit in ordine ad claves Ecclesiæ, petendo scilicet Confessorem, dummodo sint fide digni, qui de hoc testimonium perhibeant; talemque casum non comprehendit in supra dicto decreto, quo Clemens VIII. declaravit non licere per litteras vel per internuntium Confessario absenti Sacramentaliter confiteri. Ex quo intelliges, Theophilum Raynundum difficultatem omnino dissimulare & tegeri, atque Lectori illudere, & fucum facere; dum in praedicto de Confessione Epistolari libello, contendit totam de Confessione per Epistolam vel internuntium controversiam, in eo sitam esse, an absolutio Sacramentalis possit impendi moribundo, qui in absentia Confessarii signa contritionis exhibuit. Istud enim probabilissimum est, & decretis dictorum Pontificum omnino consonum. Illud verò omni probabilitate caret, ut Clemens VIII. in Decreto supra adducto declaravit, meritoque Suarem, & alios id asserentes damnavit.

79. Ex dictis confutata manet Jacobi Baii, aliorumque Recentiorum sententia, quæ docent posse absolvi moribundum, quamvis nullum exhibeat signum contritionis & desiderii absolutionis, si vixerit pie, suæque salutis immemor non fuerit; & multò magis, si audiendo sacrum, præmississet Confessionem, quæ solet fieri his qui inserviunt Sacerdoti; quia (inquiunt) præsumptio est ipsum poenitere suorum peccatorum; & hoc sufficit ad recipienda tunc Sacramenta Eucharistiæ & Extremæ-Unionis. Addunt Clementem VIII. quendam ruentem è fornice templi D. Petri Romæ sic absolvisse.

80. Verum hæc sententia probabilitate caret, cum enim Sacramentum poenitentiae per modum iudicii institutum sit, non potest perfici sine aliqua sui accusatione, quæ est pars essentialis illius, & sine qua Sacerdos in foro poenitentiae juridicè sententiam ferre nequit. Unde non est par ratio de hoc Sacramento, & de Sacramentis Eucharistiæ, & Extremæ-Unionis. Nec sufficit confessio generalis quæ fit ab his qui Missæ inserviunt, vel illi assistunt; talis enim confessio, non est pars Sacramenti poenitentiae, sed solum aliquid Sacramentale, per quod interdum remittuntur peccata venialia, sæpeque contingit, illam fieri sine

A ullo profus dolore de peccatis. Quod verò additur de Clemente VIII. fabulosum est, ut asserit Cardinalis Delago hic disp. 17. num. 3. & postea gentem inquisitionem à viris gravibus & probatibus, qui Romæ tempore Clementis VIII. commorabantur.

Addo ad integram & completam resolutionem hujus celebris difficultatis de confessione moribundi, non sufficere ut moribundus possit Sacramentaliter absolvi, quòd ostendit signa contritionis vel doloris quomodocumque, sed requirit insuper quòd Confessorem petierit, & quòd talis dolor aliquo modo ad confessionem referatur, quia non est materia & pars Sacramenti poenitentiae, nisi prout dicit ordinem ad claves Ecclesiæ.

DISPUTATIO XIII.

De satisfactione.

Ad quaestionem 12. Supplementi, & sequentes.

C Satisfactio est ultima pars Sacramenti poenitentiae, prior quidem ordine intentionis ipsa absolutione, sed posterior ordine executionis; unde de illa postremo agimus, & procedenti de absolutione Sacramentali illam insuper agimus, in qua de satisfactione, cum ut est actus virtutis poenitentiae, tum ut est pars Sacramenti breviter differemus.

ARTICULUS I.

An homo possit satisfacere de condigno pro peccatis temporalibus, peccato mortali debita?

D Notandum primum, satisfactionem tribui esse quàm actionem quæ reparatur inaequalitas orta ex injuria alteri illata. In quo distinguitur tum à restitutione, quæ consistit in actione quæ reparatur inaequalitas orta ex re aliena ab invito domino, & à satisfactione, quæ non est actio ipsius poenitentis, sed per se quædam poenæ à principio quodam extrinseco, patet à iudice facta. Unde reus non dicitur proprie satisfacere, cum patitur poenas quas promeruit, sed solum satisfati. Similiter animæ purgatorii poenitentem poenam temporalem ipsorum peccatorum debitam, non proprie satisfaciunt, sed duntaxat satisfaciuntur.

E Notandum secundò, quod offendens Deum per peccatum mortale, duplicem facit inaequalitatem, unam quæ constituit in creatura suam ultimum finem, ex qua incurrit reatum poenæ æternæ; alteram quæ nimis indiget propriæ voluntati, & delectationem inordinatam in fruitione creature percipit; & ex hac incurrit reatum poenæ temporalis: juxta illud Apocal. 18. *Quantum si glorificavit, & in deliciis fuit, tantum dare sibi tormentum & luctum.* Prima inaequalitas semper tollitur per contritionem vel per attritionem cum Sacramento poenitentiae, non verò secunda; nam remissa culpa per poenitentiam, remanet interdu poena aliqua temporalis luenda; ut contra Lutheranos & Calvinistas docet Tridentinum sess. 14. cap. 8. his verbis: *Sancta Synodus declarat, & facit*

sum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam poena condonetur: perspicua enim & illustrata in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus, præter divinam traditionem, hic error manifestissime revincitur. Exempla verò Scripturæ, quæ in margine citantur, hæc sunt: Genes. 3. plures & gravissimæ poenæ temporales decernuntur à Deo primis parentibus, pro peccato inobedientiæ, etiam post ipsius condonationem quoad rationem culpæ & poenæ æternæ. Numer. 28. Aaron pro remisso sibi incredulitatis peccato, punitur ibidem à Deo poenâ temporali, his verbis: Peragat Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fueris ori meo ad aquas contradictionis. 2. Regum 12. David post condonata peccata adulterii, homicidii, ac numerationis populi, punitus adhuc fuit poenis temporalibus.

Favet etiam SS. Patres: Augustinus enim in Enchiridio ad Laurentium cap. 66. verba illa Apostoli expendens: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi, ait hæc dici ab Apostolo de quibusdam temporalibus poenis quæ in hac vita peccantibus irrogantur eis, quorum peccata delentur, ne reserventur in finem. Et tract. 124. in Ioan. hæc scribit: Productior est poena quam culpa, ne parva putaretur culpa, si eam illa finiretur & poena. Item Eucherius in libro 2. Regum cap. 8. Dominus (inquit) delet peccatum, sed sine ultione non deserit. Aut enim ipse homo in se punit, aut Deus percussus. Similia habent Origenes homil. 8. in Levitic. Tertullianus lib. de poenit. in fine, & Author libri de vera & falsa poenitentia apud Augustinum cap. 14.

Notandum tertio, satisfactionem pro peccatis esse duplicem. Una est sacramentalis, quæ juxta Tridentinum sess. 14. cap. 3. per modum partis materialis ad sacramenti poenitentiae constitutionem, & ad plenam perfectamque peccatorum remissionem, ex institutione Christi requiritur; potestque definiti ex eodem Concilio cap. 8. ejusdem sessionis: Actio per quam in Sacramento poenitentiae retribuimus Deo compensationem aliquam pro peccatis, juxta sententiam Sacerdotis. Altera est non sacramentalis, per quam homo operibus à Sacerdote non injunctis, conatur aliquam pro peccatis retribuere Deo compensationem; unde sic potest describi: Satisfactio est voluntaria sui poenitentia ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, eamque sic placandam, ut temporalem poenam remittat. Dicitur voluntaria sui poenitentia, tum ut significetur illam esse actum virtutis, qui in electione consistit, tum ut distinguatur à satisfatione, quæ aliquis à principio extrinseco, purâ à Iudice, & virtus patitur poenas quas meretur. Subditur ad compensandam injuriam, ut per hoc distinguatur à restitutione; quæ bona ablata reddit, satisfactio verò injuriam Deo illatam compensat. Additur ad placandam Deum, ut poenam temporalem remittat, ut constitutur differentia inter satisfactionem seu compensationem pro culpa, & satisfationem pro poenâ, de qua solum in præsentî disputamus; de satisfatione enim pro culpa, fusc egimus in Tractatu de Incarnatione disp. 4. art. 1. ubi ostendimus purum hominem non posse de condigno seu ad æqualitatem Deo satisfacere pro culpa peccati mortalis; unde solum hic restat resolvendum, an etiam impotens sit ad illi satisfaciendum de condigno pro poenâ temporali tali peccato debita?

A Dico igitur, homo potest satisfacere de condigno pro poenâ temporali peccato mortali debita, non tamen de rigore justitiæ.

Prima pars hujus conclusionis est contra Lutheranos & Calvinistas, negantes posse homines ullo modo satisfacere Deo pro reatu poenæ, imò & ullam poenam post peccatum remissum, Deo lucendam superesse, quippe quam totam putant semper cum culpa remitti. Quem errorem damnat Tridentinum loco supra citato, & Can. 12. ubi sic dicitur: Si quis dixerit, totam poenam, simul cum culpa remitti semper à Deo, &c. anathema sit. Est etiam contra Michaëlem Bajum, nam inter propositiones ejus à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnatas, hæc erat 59. Quando per elemosynas, aliaque pietatis opera, Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum Deo pretium pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant; nam alioqui essemus aliqua saltem ex parte redemptores; sed aliquid facimus cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur. Item 77. sic habet: Satisfactiones laboriosæ justificatorum, non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam. Demum eadem pars est contra Recentiores aliquos, asserentes nos Deo satisfacere tantum de congruo, eo quod poenæ hujus vitæ non sint ejusdem rationis cum poenis vitæ futuræ: qui autem solvit pretium ordinis inferioris, non solvit condignè & sufficienter, tametsi pretium illud benignè & misericorditer acceptetur. Nihilominus

Probatur primò hæc pars ex Tridentino sess. 14. cap. 8. & 9. & Can. 13. ubi asserit simpliciter & absolute nos Deo satisfacere pro poenâ temporali peccato debita. At non satisfacit simpliciter & absolute, nisi qui de condigno satisfacit; sicut non dicitur simpliciter & absolute mereri, nisi qui meretur de condigno. Ergo homo potest satisfacere de condigno pro poenâ temporali, peccato mortali debita.

Probatur secundo eadem pars ratione fundametalis. Satisfactio illa condigna dicitur, quæ est moraliter æqualis rei debita: Sed satisfationes, quas Deo exhibemus, possunt esse moraliter æquales poenæ temporali peccato mortali debita. Ergo pro tali poenâ possumus Deo satisfacere de condigno. Major patet, Minor etiam videtur manifesta; cum enim poenâ illa finita sit, potest ad æquare per satisfationem finitam; ratio enim cur nulla satisfactio puræ creaturæ, malitiam & gravitatem culpæ mortalis ad æquare possit, est quia talis malitia est in genere moris simpliciter infinita, ut in Tractatu de Incarnatione disp. 4. art. 1. declaravimus. Imò ut rectè admonet Cajetanus 3. p. quæst. 87. art. 3. actus contritionis possunt esse ita ferventes & intensi ut excedant debitum poenæ temporalis, juxta illud Job. 6. Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam pavor in scatera, quasi arena maris, hæc gravior appareret.

Confirmatur: Si bona iustorum opera, facta in gratia, possunt esse valoris moraliter æqualis cum vita æterna, atque adeò de condigno meritoria gloria; quanto magis possunt esse æqualis valoris cum poenâ temporali & finita, restantem pro peccatis remissis, quæ multò minoris est estimationis, subindeque pro illa satisfactoria de condigno.

Secunda pars conclusionis, quæ asserit, purum hominem non posse satisfacere pro tali poenâ de rigore justitiæ, non minùs evidens est; ut enim

ostendimus in Tractatu de Incarnatione disput. 4. art. 4. ut aliqua satisfactio censetur esse de rigore iustitiæ, non sufficit quod fiat ad æqualitatem, & tantum a debitore solvatur, quantum debetur creditori, sed requiritur insuper quod non fundetur in gratia creditoris, quod fiat ex bonis debitoris, & ex bonis aliis indebitis, seu quæ nullo alio titulo debeantur creditori: Sed hæc conditiones reperiri nequeunt in nostris satisfactionibus, cum illæ non sint ex bonis propriis, sed ex receptis ab ipso creditore, qui est Deus, & infinitis titulis illi debeantur, subindeque fundentur in gratia creditoris, qui posset, si vellet, alio titulo quam satisfactionis, opera nostra satisfactoria à nobis exigere. Unde Bernardus ait quod *Deus nos onerat, cum exonerat, onerat enim beneficiis, cum exonerat peccatis*: Ergo non possumus satisfacere Deo de rigore iustitiæ, pro pena temporali peccato mortali debita. Quare nostræ satisfactiones non pertinent ad iustitiam commutativam, sed ad virtutem poenitentiae, quæ est iustitia quædam imperfecta, & pars potentialis iustitiæ commutativæ, ut disp. 2. ostendimus.

10. Contra primam partem nostræ conclusionis obijciunt Adversarii. Qui solvit pretium ordinis inferioris, non solvit condignè & sufficienter, tamen si pretium illud est condignè & misericorditer à creditore acceptetur: Sed poenæ hujus vitæ non sunt ejusdem rationis cum poenis vitæ futuræ, sed multum ipsi inferiores & impropportionatæ: Ergo per illas non possumus satisfacere de condigno pro poenis purgatorii peccato remisso de bitis, tamen Deus pro poenis purgatorii, poenas hujus vitæ benignè & misericorditer acceptet.

11. Hoc est præcipuum, imò & unicum fundamentum, quo Recentiores supra citati moventur ad asserendum hominem per bona opera satisfactoria, non satisfacere de condigno pro pena temporali peccato mortali debita. Verum hæc ratio nullius momenti est, multo enim magis gloria æterna excedit bona iustorum opera, quam poena temporalis debita peccatis; & tamen ille excessus non impedit, quin bona iustorum opera sint satis proportionata ad merendum de condigno gloriam æternam; quia nimirum (ut in Tractatu de merito declaravimus) ad meritum de condigno non requiritur æqualitas rei, sive in esse entis (quæ æqualitas arithmetica dicitur) inter meritum & præmium, sed sufficit æqualitas proportionis, quæ geometrica appellatur, seu æqualitas moralis in eo consistens, quod dignum sit apud præmiantis, liberalitatem, ut tale opus tali præmio compensetur. Sic etiam ad satisfaciendum de condigno pro poenis purgatorii, non requiritur æqualitas omnimoda inter poenas hujus vitæ, & poenas purgatorii, sed sufficit æqualitas proportionis, seu æqualitas moralis, in eo consistens, quod dignum sit tale opus, aut talis poena voluntariè assumpta, ut Deum moveat, ne purgatorii poenas infligat. Unde ad argumentum in forma respondeo, distinguendo Majorem: Qui solvit pretium ordinis inferioris tam in esse moris quam in esse physico, non solvit condignè & sufficienter, concedo Majorem. Qui solvit pretium ordinis inferioris in esse physico, habens tamen cum re debita proportionem quandam, & æqualitatem moralem, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

Disp. 2.
art. 5.

ARTICULUS II.

Quæ conditiones ad satisfaciendum
requirantur?

Conditiones ad satisfaciendum requiruntur triplicis generis, aliæ enim se referunt ad personam satisfaciens; aliæ ex parte operis quod satisfaciens; aliæ verò ex parte ejus cui fit satisfactio. De primis agemus in hoc paragrapho, de aliis vero in sequentibus.

§. I.

Conditiones ex parte satisfaciens requiruntur.

Disco primo, ad satisfaciendum requiruntur ex parte satisfaciens quod sit in gratia, scilicet, debite opera quæ eliciuntur ab homine in peccato mortali existente non sunt satisfactoria, etiam pro poena temporali peccatis remissis debita. Ita D. Thomas hic quæst. 14. art. 2.

Probatur breviter. Tum quia opera hujus vitæ, etiam poenalia, non sunt comparabilia, nec proportionem habent cum poena purgatorii, & consequenter per se non habent valorem ut mittant illam, sed indigent gratiâ quæ hoc valorem accipiant: gratiâ, inquam, non solum auxiliante, verum etiam, imò præcipue, sanctificante, ut conferat dignitatem personæ à qua satisfactio habet valorem & moralem proportionem ad debitum persolvendum. Tum etiam, quia non possumus satisfacere Deo, etiam pro poenis peccatis debita, ex vera & stricta iustitia, ut articulo præcedenti ostensum est, sed tantum ex amicitia. Atqui satisfactio quæ fundatur in amicitia divina, supponit gratiam: Ergo &c. Adde quod licet est generalis, ut quod sine charitate fit, nihil proficit ad vitam æternam; quod tamen effectivum, si opera extra charitatem facta, essent satisfactoria pro poena temporali, utpote cum reatu poenæ temporalis quando remanet, retardaret gloriæ affectationem.

Ex his constat, bona opera in mortali peccato non reviviscere, etiam quoad satisfaciendum, adveniente postea gratiâ, quia nunquam fuerunt viva & satisfactoria. Non sunt tamen illa opera etiam in peccatoribus omnino inutilia; valent enim primo ad satisfaciendum præcepto, secundo ad mitigandas passiones, tertio ad præmium aliquod accidentale, quarto ad disponendum hominem ad similia bona opera, quando erit in gratia, elicienda. Demum ut observat D. Thomas hic quæst. 14. art. 3. ad 3. sunt aliqua bona opera ex quibus manet aliquis effectus in satisfaciens, etiam postquam actus satisfaciens transiit, quæ licet in statu peccati eliciantur, postea tamen ab homine iustificato possunt Deo in satisfactionem offerri: v.g. ex jejunio manet corporis debilitas, & ex elemosinarum largitione, sublimitas diminutio, quæ sunt quædam poenaliæ, quas si homo iustificatus offerat Deo, acceptabit illas Deus in satisfactionem pro poena temporali quam vis jejunium & elemosinæ largitio in statu peccati facta fuerint.

Dico secundo, ad satisfaciendum ex parte satisfaciens requiritur alia conditio, nimirum status viatoris.

Probat: De satisfactioe eodem modo philosophandum.

Josephandum est ac de merito, servata proportionem, præsertim cum omnis actus satisfactorius sit etiam meritorius, ut infra dicemus. Ergo sic ut post hanc vitam nullus est locus merito, ita nec satisfactioni. Unde Christus dicebat Joan. 9.

Venit nox quando nemo potest operari. Ubi per noctem status hominis post mortem intelligitur, in quo nemo potest meritorie vel satisfactorie operari. Unde Origenes hom. 3. in Psalmum 36. Dominus & Salvator ait, *veniet nox quando nemo potest operari*, & hoc dicit de illo tempore quod erit post hoc seculum, tempore quo unusquisque pro malis suis recipiet penas. Tunc ergo dicit, *noctem illam futuram*, cum iam nemo potest operari aliquid, sed unusquisque tunc patitur ex operibus suis quæ hic posuit operatus est.

Cum ergo nox fuerit, nemo operatur. In illo tempore malo, cum peccatores supplicii affliguntur, erit sine dubio fames his qui nullos fructus boni operis collegerunt. In illo autem famis tempore, saturabuntur iusti ex fructibus iustitiarum suarum. Sicut enim in deserto sex diebus colligebant manna, in sexta autem die non unus diei modum, sed quantum sufficeret ad crastinum colligebant, & unusquisque edebat in die Sabbati quæ collegerat in die sexta: ita etiam nunc velut sexta quedam dies putanda est Domini nostri Iesu Christi adventus, & tempus hoc dispensationis ejus, quam passionem suam hoc in seculo procuravit. Et idcirco dum in die sexta sumus, colligimus manna dupliciter, ut sufficere nobis possit, dum advenit vera Sabbati observatio populo Dei. Si enim non collegerimus duplices cibos, qui nobis & in presentis seculo sufficiant & in futuro, in diebus famis non saturabimur.

Confirmatur: Si homo posset post mortem satisfacere, animæ quæ purgantur, cum eliciant ferventissimos & frequentissimos actus charitatis & contritionis, statim pro penis maximis satisfacerent; subindeque non diu detinerentur in purgatorio, ut detinentur plurimæ.

§. II.

Conditiones ex parte ipsius operis satisfactorii necessariae.

15. Dico tertio, ut opus aliquod sit satisfactorium, debet esse liberum, bonum, supernaturale, ac pœnale.

Probatur conclusio quantum ad singulas partes. Et in primis quod opus satisfactorium debeat esse liberum seu voluntarium, constat, Tum quia actus satisfactorius est actus moralis & humanus: fundamentum autem moralitatis est libertas: Tum etiam, quia sicut homo non peccat nisi liberè operando, ita nec pro peccato satisfacit, nisi eliciendo actum liberum; & per hoc satisfactio distinguitur à satisfactione, seu à punitione coacta, & à pœna quam quis invitus patitur.

Observat tamen D. Thomas hic quæst. 15. art. 3. quod quamvis flagella temporalia à Deo homini immittantur, non sint in ejus potestate, sed veniant ei ab extrinseco; si tamen ea voluntariè acceptet, & patienter toleret satisfactoria sunt, Quia (inquirit) sunt aliquo modo ipsius patientis, in quantum ea acceptat ad purificationem peccatorum, eia utens patienter. Idem docet Tridentinum sess. 14. cap. 9. his verbis: *Docet præterea (Sancta Synodus) tantam esse divinam munificentiam largitatem, ut non solum panis sponte à nobis pro vindicando peccato suscipiis, aut Sacerdotis arbitrio pro men-*

Tom. V.

sura delicti imponitur, sed etiam quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo insulsiis, & à nobis patienter tolerari; apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.

Secundò, quod opus satisfactorium debeat esse bonum, non minus evidens est, quia per opera mala non possumus mereri remissionem pœnæ, cum potius novam pœnam mereamur.

Tertiò, quod debeat esse supernaturale constat ex Tridentino sess. 14. cap. 8. ubi dicit satisfactiones nostras esse opera ex meritis Christi: Sed quæ sunt ex meritis Christi supernaturalia, sunt. Ergo &c.

Tum etiam ex D. Thomæ hic quæst. 14. art. 3. ubi vult cum satisfactione nostra semper conjunctum esse aliquod meritum, per illam enim remissionem pœnarum purgatorii mereamur, quæ ad ordinem supernaturalem quodammodo pertinent, tum quia fide supernaturali nobis reverantur, tum etiam quia retardant nos à consecutione finis ultimi supernaturalis, unde licet ad meritum præmii supernaturalis, actus supernaturalis requiratur, ita & ad satisfaciendum pro pœnis purgatorii.

Denique quod opus satisfactorium debeat esse pœnale, colligitur ex Tridentino sess. 14. cap. 8. ubi opera satisfactoria vocantur pœnas satisfactorias, & Can. 13. *pœnas sponte susceptas, vel à Deo insulas, vel à Sacerdote injunctas.* Scriptura etiam assignat pœnitentibus opera pœnalia pro satisfactione peccati, Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & fletu & planctu.* Matth. 11. *In cilicio & cinere pœnitentiam egistis.*

Ratio etiam suffragatur, nam ut discit D. Thomas hic quæst. 15. art. 1. satisfactio fit tum ut peccata præterita vindicentur, tum ut futura caveantur: Sed ad utrumque requiritur opus pœnale; Ergo &c. Minor probatur quoad utramque partem, & in primis quod ut peccata præterita vindicentur, opus pœnale sit conveniens, manifestum videtur, debet enim hæc vindictio seu recompensatio ita fieri, ut quantum se glorificavit peccator, tantum detur ei tormenti & luctus, ut dicitur Apocal. 18. & tantum recipiat pœnæ & supplicii, quantum delectationis inordinatæ, in creaturarum perversa fruitione recepit. Unde Gregorius homil. 2. in Evang. relatus à D. Thomæ eodem articulo, in argumento sed contra: *Inustum est, ut peccator tanto majora sibi inferat lamenta per pœnitentiam, quantum majora sibi intulit damna per culpam.* Deinde quod ut futura peccata caveantur, opus pœnale utile sit, patet ex Tridentino sess. 14. cap. 8. ubi hæc habet: *Proculdubio magnopere à peccato revocant, & quasi freno quodam coercet hæc satisfactoria pœna, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiant.* Ubi enim homo expertus est pœnam, non facile redit ad culpam. Unde Philosophus 2. Ethic. ait quod *peccatorum medicina sunt pœnæ.*

Dices, Omnis actus virtutis est satisfactorius: 16. Sed dantur aliqui actus virtutis qui non sunt pœnales, puta actus virtutis temperantiæ quem quis exercet comedendo cibos delicatos, vel bibendo vinum quod placet: Ergo omnis actus satisfactorius non debet esse pœnalis.

Propter hoc argumentum Petrus Ledesma & aliqui alii docuerunt dari aliquos actus virtutis qui non sunt satisfactorii, illi nempe qui nihil pœnalitatis habere videntur, sed potius delectationem afferunt & jucunditatem, ut manducare

& bibere ad conservandam honeste sanitatem.

Sed hæc solutio & doctrina displicet, tum quia in concilio Tridentino sess. 14. cap. 13. universum & absolute dicitur satisfieri Deo pietatis operibus, & in formula absolutionis sic habetur: *Quidquid boni feceris aut intendis facere, sit tibi in remissionem peccatorum.* Tum etiam, quia nullum est opus moraliter bonum, quod non habeat aliquam poenalitatem annexam, vel ex parte subiecti, vel ex parte objecti, comedere enim cibos delicatos, de quo maxime potest esse dubium, non est actus virtutis temperantiae & opus moraliter bonum, nisi moderate fiat, & ordinetur ad bonum finem: sub ista autem ratione habet poenalitatem annexam, scilicet carentiam maioris delectationis quæ esset in majori comestione.

17. Instabis: Si talis actus esset satisfactorius, posset Sacerdos injungere poenitentiam in remissionem peccatorum, ut comederet cibos delicatos, vel biberet vinum delectabile. Sed hoc videtur ridiculum: Ergo & illud.

Respondeo dupliciter posse Confessarium injungere poenitentiam in satisfactionem, ut comedat cibos delicatos: Primo nullam exprimendo poenalitatem in tali opere; quod contingeret si diceret tantum, comedes cibos delicatos; & hoc sine dubio esset ridiculum, nulliusque poenitentiae injunctio. Secundo, præscribendo poenitentiam tale opus sub forma poenalitatis, ut si diceret, comedes cibos delicatos moderate, ordinando actum virtutis; & tunc veram injungeret poenitentiam, peccaret tamen, idque mortaliter, si confessio fuisset de mortalibus, vel venialiter, si de venialibus tantum, nam quando peccata sunt gravia, satisfactio debet esse gravis, atque adeo opus satisfactorium simpliciter poenale, quale est opus jejunii, vel orationis, vel elemosynæ, non vero poenale tantum secundum quid, & simpliciter delectabile, qualis est confessio, etiam temperata, cibi delicati.

§. III.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

18. EX dictis colligitur primo, omne opus satisfactorium esse meritorium, & e contra.

Ratio primi est, quia ad opus meritorium requiritur tantum quod sit liberum, bonum, & supernaturale: Sed hoc totum convinit operi satisfactorio, ut constat ex supra dictis: Ergo omne opus satisfactorium, est etiam meritorium.

Ratio vero secundi sumitur ex eo quod omne opus meritorium est laboriosum & poenale, quod solum videbatur ipsi deesse ut esset satisfactorium: Ergo omne opus meritorium, est etiam satisfactorium. Consequentia patet, Antecedens probatur, quia omne opus meritorium, cum sit actus virtutis, habet adjunctam aliquam difficultatem & molestiam, quamvis ex alia parte sit delectabile, ut patet de contemplatione, quæ dum recreat animum, affligit corpus. Nec effert quod homini ferventi & bene affecto paucam vel nullam poenam ingerat; diminutio enim poenæ ex promptitudine voluntatis, sicut non minuit meritum, ita nec satisfactionem: attendenda est enim ratio & natura ipsius actus, & difficultas non subiectiva, sed objectiva, quæ dupliciter potest considerari; primo quatenus confert ad bonitatem actus, & sic pertinet ad meritum, secundo ut ex genere suo poenam & laborem infert operanti, & sic confert ad satisfactionem. Ex quo

A Colligitur secundo contra Scotum Almainum, Gabrielem & alios, non solum opus exterius sed etiam internum, etiam per sumptum, valere potest ad satisfaciendum pro poena tenentis poenitentiam liberam, ac difficiles, per se sumpti sunt operum meritoriorum, & charitatis, non solum sunt valde meritorii, sed etiam multum satisfactorii, quia dum se sunt valde difficiles & poenales. Nunc quod in viris perfectis ac ferventibus, eductio tatis nullam poenam causet: ratio enim satisfactorii petitur à difficultate objectiva, meritorietas sed quatenus nata est laborem & poenam in seipso, & non ex causa; unde quamvis per accidens, ob bonam dispositionem subiecti, non censetur poenitentia non propterea opus definit esse satisfactorium, quia semper habet quod sit modum difficile, sed iam quantum est de se poenale.

Ex hoc intelliges, posse Confessarium injungere pro poenitentia actum pure internum, poenitentiam contritionis vel charitatis; quia potest injungere illi omne opus quod satisfactorium est, adhuc enim præcipue poenitentia injungitur poenitentia, ut pro poena peccati debita satisfaciatur. Actus vero internus, ut jam ostendimus, satisfactorius est cum sit vera poenalis. Est etiam satisfactorius sensibilis, ut possit esse pars sacramenti, & sit contritio, quia sit sensibilis per aliam, scilicet per confessionem, est vera pars sacramenti, quia & actus internus pro poenitentia injuncta, per impositionem Confessarii & acceptationem poenitentis factus sensibilis, poterit similiter esse pars sacramenti.

Colligitur tertio, opus exterius, quod ab interiori procedit, ita esse satisfactorium, ut vim satisfactorii addat interiori, quoniam nullam ei addat bonitatem intrinsecam, ut Tractatu de moralitate actuum humanorum ostensum est, in ipso tamen actu interno est distincta poena ab interiori, & voluntate actus, quod sufficit ut actus internus vim majorem

D satisfaciendi addat interiori. Unde jejunium delecto, magis satisfactorium est, improprie poenale & laboriosum, quam habere intentionem & voluntatem jejunandi. Idem dicendum de elemosyna, oratione, aliisque virtutum operibus, quæ opere externo completa, vim majorem satisfaciendi habent, ob specialem aliquam poenam & difficultatem, quam actus exterior addat interiori.

Ex hoc intelliges discrimen quod inter meritum & satisfactionem reperitur; cum enim satisfactio attendatur præcipue penes laborem, difficultatem, & poenalitatem operis, hinc in exteriori est distincta poena ab interiori, ita & operis vis satisfaciendi: e contra vero, cum ratio meriti sumatur præcipue ex bonitate actus, sicut exterior, in sententia D. Thomæ & Dispositum ejus, nullam addit bonitatem intrinsecam actui interiori, ita nec ejus meritum auget. Unde Apostolus 2. ad Corinth. 8. invitans fideles ad elemosynam, sic ait: *Pi quoniam alius est promptus est animus voluntatis, ita sit perfectioris et quod habeatis. Scitum voluntas prompta est, sed quod non habet. Id est (ut exponunt Hieronymus, Theodoretus, Anselmus, Lyranus & alii) non minus Deo accepta est animi veluti promptitudo, etiam si minima possitis dare, quam si plura daretis; quia ex voluntate non ex operibus pensatur meritum. Quare ibidem ait Galatas 3.*

equa voluntas, aequalem habent mercedem. Hinc inferit Gregorius Magnus homil. 5. in Evang. quod ante oculos Dei nunquam vacua est manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate.

21. Colligitur quartò, omnia bona opera, etiam aliunde debita Deo ratione voti vel præcepti, esse satisfactoria. Nam opus habet quod sit satisfactorium, ex eo quod sit bonum & pœnale: Sed per hoc quod sub voto aut præcepto cadat, non tollitur ab eo quod sit bonum & pœnale: Ergo nec quod sit satisfactorium.

Confirmatur primò: Ex Tridentino sess. 6. cap. 10. & 16. per bona opera, licet ex præcepto debita, mereri possumus: Ergo multò magis per illa possumus satisfacere.

Confirmatur secundò tribus exemplis: Per jejunium enim quod est ab Ecclesia præceptum, creditur remissio peccatorum quoad pœnam, ut sæpè postulat Ecclesia: Ergo pro illa pœna per ipsum satisficimus. Item qui martyrium sustinet, quando ex præcepto ad id tenetur, non minùs satisficit pro tota pœna, quàm si ad hoc non teneretur. Christus etiam moriendo iusserit, de condigno, imò & de toto rigore iustitiæ, Deo pro peccatis nostris satisficit, quamvis de tali morte subeunda præceptum à Patre haberet, ut in Tractatu de incarnatione ostendimus: Ergo nos pariter per opera, quæ sub voto aut præcepto cadunt, possumus Deo satisfacere.

22. Dices, Non possumus satisfacere Deo per opera aliis titulis ei debita: Sed opera quæ sub voto vel præcepto cadunt, sunt debita Deo aliis titulis, nimirum titulo religionis & obedientiæ: Ergo per illa non possumus Deo satisfacere.

Respondéo distinguendo Majorem: Non possumus satisfacere Deo de condigno per opera aliis titulis ei debita, nego Majorem. Non possumus satisfacere de toto rigore iustitiæ, concedo Majorem. Solutio patet ex dictis art. 1. Aliud enim est satisfacere de condigno, & aliud satisfacere de rigore iustitiæ; illa enim satisfactio condigna dicitur, quæ est moraliter æqualis rei debita; illa verò appellatur de rigore iustitiæ, quæ observat omnes leges strictæ & rigorosæ iustitiæ, inter quas hæc præcipua est, ut satisfactio fiat ex bonis propriis, & aliis indebitis: Unde cum satisfactiones, quas Deo exhibemus per opera, quæ sub voto vel præcepto cadunt, possint esse moraliter æquales pœnæ temporali peccato mortali debita; pro illa possumus de condigno Deo satisfacere; quia tamen opera illa aliis titulis ei debita sunt, de toto rigore iustitiæ pro tali pœna temporali ei satisfacere non valeamus. Ex hoc faciliè intelliges quid velit Anselmus libro 1. Cur Deus homo cap. 20. dum ait: Cum reddis aliquid quod debes Deo, etiam si non peccasti, non debes computare pro debito quod debes ex peccato. His enim verbis solum declarare intendit, quod per bona nostra opera non possumus satisfacere Deo de toto rigore iustitiæ, etiam pro pœna temporali peccato mortali debita; non intendit tamen negare quod pro tali pœna condignam & æqualem possumus Deo exhibere satisfactionem.

23. Instabis: Non potest quis per solutionem unius & ejusdem rei pluribus debitis de condigno satisfacere: Ergo si aliquid opus sit aliàs ex voto vel ex præcepto debitum, non poterit homo per illud satisfacere de condigno pro pœna temporali peccato mortali debita.

Respondent aliqui Recentiores, distinguendo Majorem: Non potest duo s. debitis satisfacere per solutionem unius & ejusdem rei; si utrum-

Tom. 7.

que debitum sit propriæ iustitiæ, concedunt. Si alterum sit debitum obedientiæ, negant. In hoc enim (inquiunt) differunt inter se obedientia & iustitia, quod obedientia facit tantum implere id quod præceptum est, siue aliàs debeat ex iustitia, siue non: iustitia verò facit reddere æquale pro debito: impossibile autem est reddere æquale pro duobus debitis, per solutionem unius & ejusdem rei, quæ tota uni eorum responderet.

Verum licet hæc solutio valere possit quando opera quibus satisfacimus sunt debita Deo solum ratione præcepti, non tamen quando sunt ei debita ratione voti; tunc enim Deo debita sunt titulo religionis, qui majorem & strictiorem inducit obligationem reddendi æquale, quàm vera & stricta iustitia; non enim religio deficit à ratione strictæ iustitiæ, & constituitur pars potentialis illius, ob carentiam obligationis reddendi æquale, sed ex defectu potentiæ faciendi perfectam cum Deo æqualitatem, ut in Tractatu de quatuor Virtutibus Cardinalibus declaravimus.

Meliùs ergo responderetur, posse aliquem per solutionem unius & ejusdem rei pluribus debitis satisfacere, quando res illa multiplicem habet bonitatem & valorem; tunc enim secundum diversam rationem, seu diversum illum valorem, plura debita compensare potest; unde cum in opere sub voto aut præcepto cadente, sit valor moralis desumptus ex objecto & circumstantiis ejus, & bonitas satisfactoria, petita ex difficultate illius, seu ex pœna & labore qui in ejus exercitio reperitur; ratione primi possumus implere obligationem voti aut præcepti, debito obedientiæ & religionis satisfacere; ratione verò secundi possumus satisfacere Deo de condigno pro pœna temporali peccato mortali debita. Sicut si nummus aureus duplicem haberet valorem, unum ratione sigilli Principis ipsi impressi, alium ratione metalli; & ratione primi valerent quinque nummos argenteos, & totidem ratione secundi; posset aliquis alteri debens decem nummos argenteos, quinque titulo mutui, & quinque ratione promissi, utrique debito, & pro utroque titulo, unius tantum nummi aurei solutione, de condigno & ad æqualitatem satisfacere.

Ex his intelliges, posse Confessarium ex prudenti motivo, causæque rationabili, injungere pœnitenti pro satisfactione sacramentali opus ex præcepto debitum, puta jejunare tempore Quadragesimæ, vel Missam in die festo audire, si nimirum adverteat pœnitentem non habere opportunitatem alia præstandi; regulariter tamen & ordinariè talia opera pœnitentibus injungenda non sunt, sed ad aliud novum obligari debent, tum ut sentiant vindictam suorum peccatorum; tum etiam quia plus requiri debet ab eis, quàm ab innocentibus.

Demum ex dictis colligitur, orationem, jejunium, & eleemosynam, esse opera maximè satisfactoria, ad quæ cetera omnia faciliè revocantur. Ratio est, quia, ut supra dicebamus, satisfactio ad duo ordinatur, nempe ad compensationem offensæ, & ad medicinam peccatorum: ad utrumque autem sunt aptissima tria illa operum genera. Ad primum quidem, quia cum sint in nobis tria genera bonorum, scilicet bona animæ, corporis, & fortunæ, per orationem subijcimus Deo bona animæ, quæ non tam nobis subtrahere debemus, cum nos reddant Deo acceptos, quàm ipsi submittere: alia autem duo bonorum genera, quia interdum nobis noxia sunt, a nobis subtra-

here

here debemus; per eleemosynam quidem bona fortuna; per jejunium verò allasve macerationes, quæ nomine jejuniis comprehenduntur, bona corporis. Ad secundum verò, quia tria illa bonorum operum genera, tres peccatorum radices in nobis extirpant; oratio quidem quæ nos & omnia nostra Deo subicimus, comprimit superbiam, jejunium concupiscentiam carnis, & eleemosyna oculorum concupiscentiam, seu avaritiam.

§. IV.

Conditio requisita ex parte Dei.

26. **D**ico quartò, ut opus sit satisfactorium, ex parte Dei requiri acceptationem, seu voluntatem remittendi reatum poenæ, intuitu talis operis.

Colligitur ex Tridentino sess. 14. cap. 8. ubi ait satisfactiones nostras non habere vim ullam, nisi per Christum, à quo Patri offeruntur, & per illum acceptantur à Patre. Et cap. 9. dicit maximum esse divini erga nos amoris argumentum, quod nostras satisfactiones acceptet, idque ad divinæ munificentiae largitatem refert.

27. Ratio etiam suffragatur; cum enim poenæ assumptæ in satisfactionem poenæ temporalis peccatis remissis delectat, multæ leviores sint, & alterius rationis à poenis purgatorii, justà lege debitis, non tenetur Deus ex justitia illas acceptare; præsertim quia ut absolutus dominus pluribus aliis titulis opera nostra satisfactoria posset exigere: unde ut illa nobis profint ad satisfaciendum pro poenis purgatorii, requiritur divina acceptatio, seu voluntas remittendi illas poenas intuitu talium operum.

Confirmatur primò: Judex non tenetur acceptare poenam sibi ipsi à reo impositam, sed potest eam non obstante illum punire poenis à se vel à lege constitutis. Ergo multò magis Deus.

28. Confirmatur secundò: Animæ existentes in purgatorio exercent plures actus contritionis & charitatis, non minùs de se aptos ad satisfaciendum, quàm qui à nobis in hac vita eliciuntur, & tamen re ipsa non satisfaciunt: Atqui hujus rei nulla alia ratio assignari potest, nisi quia tales actus in hunc finem non acceptantur à Deo, qui tempus satisfaciendi & merendi ad spatium hujus vite limitavit. Ergo ut opus sit satisfactorium, requiritur acceptatio ex parte Dei, seu voluntas remittendi reatum poenæ, intuitu talis operis. Ex quo fit quod poenalibus operibus satisfaciunt, infallibiliter consequantur remissionem poenæ ordinariæ per se correspondentis peccatis, non tamen poenæ extraordinariæ, quam Deus interdum decernit in ultionem & punitionem peccati; ut patet in Davide, qui licet valde probabiliter exhibuerit aliquid æquale poenæ temporali restandi ex peccatis adulterii, homicidii, & superbiam, sibi remissis, voluit tamen Deus infligere ipsi omnes illas poenas quas per Prophetam suum ipsi denuntiaverat; quia nimirum opera ejus satisfactoria, pro illarum poenarum remissione non acceptaverat, sed eas ad terrorem & exemplum aliorum ipsi infligere decreverat. Si verò interdum obtineatur remissio vel commutatio hujus poenæ extraordinariæ, ut varia Scripturæ exempla demonstrant, id non fit per modum satisfactionis, sed per modum impetrationis & meriti de congruo.

ARTICULUS III.

Virum satisfactio sit vera pars Sacramenti poenitentiae, & quem effectum causet ex opere operato?

§. I.

Duplici conclusione utraque diffinitio resolvitur.

Dico primò, satisfactio Sacramentalis est pars, non essentialis, sed integralis duntaxat Sacramenti poenitentiae.

Prima pars est certa de fide, ac definita in Tridentino, in decreto unionis, ubi sic dicitur: *Quod est Sacramentum poenitentiae, caput quoque materia sunt actus poenitentiae, qui in tria dividuntur partes, quarum prima est cordis contritio, secunda est oris confessio, tertia est satisfactio pro peccatis.* Et d. Thomas 3. p. qu. 90. art. 2. ubi sic dicitur: *Alio modo fit recompensatio offensa poenitentia, & in vindictiva justitia: nam in vindictiva fit recompensatio secundum arbitrium iudicis, non secundum voluntatem offendentis vel ipsius. Sicut poenitentia fit recompensatio offensa secundum voluntatem peccantis, & secundum arbitrium Dei, in quo peccatur, quia hic non queritur sola retributio aequalitatis justitiae (sicut in justitia vindictiva) sed magis reconciliatio amicitiae, quod fit dum offeratur recompensatio secundum voluntatem ipsius qui offendit.* Sic igitur requiritur ex parte poenitentis, primò quidem voluntas recompensandi, qui fit per contritionem; secundò quod se subiaciat auctoritati sacerdotis loco Dei, quod fit in confessione; tertio quod recompenset secundum arbitrium iudicis Dei, quod fit in satisfactione, & isto contritione, confessio, & satisfactio, ponuntur partes poenitentiae. Ex quo probata manet prima pars conclusionis, quæ assertit, satisfactionem esse partem Sacramenti poenitentiae.

Quod verò non sit pars illius essentialis, id duntaxat integralis, patet. Tum quia punctum non est de essentia, sed tantum de integritate, & veluti complementum ejus extrinsecum. Tum etiam, quia satisfactio supponit Sacramentum jam perfectum & completum essentialiter, quia supponit gratiam, quæ est effectus Sacramenti, productam; quod non convenit confessioni & contritioni, & ideo sunt partes essentialis hujus Sacramenti, non verò satisfactio. Ad id quod, si satisfactio esset pars essentialis hujus Sacramenti, sequeretur quod moribundus, omni sensu destitutus, esset incapax Sacramenti poenitentiae, cum nullam satisfactionem impleri posset; quod est contra communem sensum & praxim Ecclesiae.

Dico secundò, satisfactionem Sacramentalem triplicem ex opere operato habere effectum, nempe remissionem poenæ temporalis, ex peccatis jam condonatis relicta, auxilia quædam supernaturalia ad faciùs præcavenda peccata in futurum, & augmentum gratiae habitualis.

Prima & secunda pars hujus conclusionis admittuntur ab omnibus Theologis, & patet ex eo quod Sacramenta novæ legis id efficiunt ex opere operato quod significant; ex Tridentino sess. 6. art. 1. satisfactio Sacramentalis significat po-

ne ex peccatis condonatis relicta remissionem, & maiorem in posterum peccata præcavendi facilitatem, quæ ex auxiliis gratiæ provenit: Ergo satisfactio Sacramentalis causat ex opere operato talem penæ remissionem, & auxiliis illa supernaturalia ad facilius præcavenda peccata in futurum.

33. Tertia verò pars est contra plures ex Recentioribus, qui negant satisfactionem Sacramentalem causare augmentum gratiæ: est tamen D. Thomæ art. suprà citato, ubi secundo loco sibi objicit: *In Sacramento novæ legis confertur gratia, ut suprà habuimus: Sed in satisfactione non confertur aliqua gratia: Ergo satisfactio non est pars Sacramenti.* Cui argumento sic respondet: *Adferendum dicendum quod satisfactio confert gratiam prout est in proposito, & auget eam prout est in executione, sicut etiam baptismus in adultis, ut suprà dictum est.* Quibus verbis aperte docet, satisfactionem prout fit in executione, verè causare augmentum gratiæ.

34. Nec valet quod ait Martinonius hñc disp. xi. sect. 8. Divum Thomam intelligendum esse de augmento non intensivo sed extensivo, quoad liberationem à reatu penæ, quæ est quidam effectus gratiæ. Nam S. Doctor ibi aperte loquitur de augmento gratiæ intensivo, tum quia alias non solveret augmentum quod sibi objicit, Sacramenta enim novæ legis conferunt gratiam vel ejus augmentum intensivum, & non solum extensivum, tum etiam quia non valeret exemplum quod adducit, Baptismus enim causat augmentum gratiæ intensivum, & non solum extensivum, quando confertur adultis per contritionem & charitatem jam iustificatis.

Alia etiam explicatio quam ibidem subiungit, nempe D. Thomam per satisfactionem in executione, intelligere totum Sacramentum penitentiae, ab ejus mente prorsus aliena est; nam toto illo articulo considerat satisfactionem, ut est pars Sacramenti penitentiae, & argumentum quod sibi objicit, probat satisfactionem non esse partem illius, ut patet ex verbis suprà adductis. Ergo etiam in responsione S. Doctor loquitur de satisfactione, ut est pars integralis Sacramenti penitentiae, non verò de toto Sacramento, aliqui laboraret in æquivoco, & objectioni proposita non satisfaceret. Unde etiam statim in resp. ad 3. subdit: *Satisfactio est pars penitentiae Sacramenti, fructus autem penitentiae virtutis.*

35. Potest etiam eadem pars ratione suaderi: Satisfactio enim nequit esse pars Sacramenti penitentiae, nisi aliquo modo participet naturam totius Sacramenti, nam pars dicitur quæ integrat naturam totius: At natura totius Sacramenti penitentiae, est conferre gratiam ex opere operato: Ergo id ipsum competere debet satisfactioni Sacramentali; unde cum illa non possit producere primam gratiam, quia illam supponit per confessionem & absolutionem productam, talem ejus augmentum ex opere operato causare debet.

36. Confirmatur: Ideò Sacramentalis confessio causat aliquem gradum gratiæ ex opere operato, quia est pars Sacramenti: Sed satisfactio Sacramentalis est etiam pars Sacramenti: Ergo causat pariter aliquem gradum gratiæ ex opere operato.

Neque obstat primò, quod sit tantum pars integralis, confessio autem pars essentialis. Ex hac enim disparitate concluditur solum quod ille gradus gratiæ quem causat satisfactio, non sit de essentia gratiæ quam producit penitentia Sacra-

mentum, sicut ille quem causat confessio, sed tantum de ejus integritate. Imò hæc disparitas potius probationem nostram confirmat: Sicut enim confessio Sacramentalis ex eo quod sit pars essentialis penitentiae, producit ex opere operato gratiam essentialem Sacramento penitentiae; sic satisfactio ex eo quod sit pars integralis, debet causare, quando actualiter impletur, gradum perfectionis ejusdem gratiæ, qui ipsam integret.

Non obstat etiam quod confessio Sacramentalis antecedit absolutionem, satisfactio verò non adimpleatur nisi post eam; cum hoc enim fiat, quod dicat essentialiter habitudinem ad absolutionem, & ratione talis habitudinis sit productiva gratiæ. Adde quod, quamvis satisfactio regulariter loquendo non adimpleatur nisi post absolutionem, mortaliter tamen illi, aliisque partibus Sacramenti penitentiae conjungitur, ut cum illis unum Sacramentum constituat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

37. Contra id quod diximus in tertia parte præcedentis conclusionis, nimirum satisfactionem Sacramentalem causare augmentum gratiæ habitualis, objiciunt primò aliqui Recentiores auctoritatem D. Thomæ, qui in 4. sent. dist. 16. qu. 1. art. 1. hoc argumentum sibi objicit: *In Sacramento novæ legis gratia suscipienti confertur: Sed in satisfactione non confertur aliqua gratia: Ergo non est Sacramenti pars.* Cui sic respondet ibidem questiu. 2. ad 3. *Dicitur quod ex proposito satisfaciendi gratia confertur, quamvis satisfactio actualis gratiam præsupponat. Vel dicendum quod per satisfactionem consequitur penitens perfectum effectum gratiæ peccatum abolentis, quia liberat totaliter à reatu peccati.* Ergo ex D. Thomæ satisfactio Sacramentalis non causat augmentum gratiæ.

38. Respondeo primò, quod cum D. Thomas idem omnino argumentum in Summa Theologica, quæ est ultimum ejus testamentum, loco suprà citato, proposuisset, aliter ei respondit, nempe quod *satisfactio confert gratiam prout est in proposito, & auget eam prout est in executione*; subindeque virtualiter & implicite retractat quod docuerat in quarto libro sententiarum.

39. Secundò dici potest, S. Doctorem, cum ait quod ex proposito satisfaciendi gratia confertur, quamvis satisfactio actualis gratiam præsupponat, loquitur de principali gratia quæ datur per Sacramentum penitentiae; non intendit tamen negare quod satisfactio Sacramentalis conferat novum gradum gratiæ, qui sit complementum & perfectio integralis illius quæ per confessionem & absolutionem Sacramentalem confertur.

Obijciunt secundò: Per unum Sacramentum una tantum gratia Sacramentalis datur: Sed antequam sit satisfactio, in instanti nimirum quo Sacerdos profert verba absolutionis, Sacramentum penitentiae causat gratiam sibi propriam: Ergo quando postea adimpletur satisfactio, nulla de novo causatur gratia Sacramentalis.

Confirmatur: In Sacramento Eucharistiæ species vini, quæ sunt pars ejus, quando actualiter sumuntur, non conferunt novum gradum gratiæ distinctum ab eo quem species panis prius sumptæ contulerunt, ut docuimus in Tractatu de Eucharistia: Ergo neque in Sacramento penitentiae, satisfactio quando actualiter impletur, tribuit

novum gradum gratiæ distinctum ab eo quod Sacramentalis absolutio causavit, licet sit pars integralis Sacramenti poenitentiae.

Ad objectionem respondeo quod licet satisfactio Sacramentalis quando actualiter impletur, novum gradum gratiæ producat, eo ipso tamen quod talis gratia sit complementum illius quæ causata fuit in confessione, quando verba absolutionis à Sacerdote fuerunt prolata, non ponit in numero cum illa.

40. Ad confirmationem, concessio Antecedente, nego consequentiam & paritatem. Ratio verò discriminis est, quia cum virtus productiva gratiæ in Sacramento Eucharistiæ sit Christus, species panis continentes totum Christum, totam huius Sacramenti virtutem continent; unde non mirum quod prius sumptæ à Sacerdote celebrante, totum Sacramenti Eucharistiæ effectum in illo producant, subinde species vini cum totum huius Sacramenti effectum productum inveniant, nullum novum gradum gratiæ ei conferant. At verò Confessio Sacramentalis, & absolutio, non continent totam virtutem productivam gratiæ quæ est in Sacramento poenitentiae, sed est aliqua pars talis virtutis quam Deus communicat ipsi satisfactioni Sacramentali, quando actualiter postea impletur, ex quo fit, quod tunc satisfactio novum aliquem gradum gratiæ habitualis in poenitente producat.

41. Obijciunt tertio: Si satisfactio Sacramentalis causaret gratiam, esset pars essentialis Sacramenti poenitentiae: Sed hoc dici nequit, ut in prima conclusione ostensum est; Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur. Si satisfactio Sacramentalis causaret gratiam, illam significaret, cum Sacramenta novæ legis solum efficiant id quod significant: si autem satisfactio Sacramentalis gratiam significaret, non posset non esse pars essentialis Sacramenti poenitentiae; illud enim quod substat significationi Sacramentali, est pars essentialis Sacramenti: Sed si satisfactio significaret gratiam, substat significationi Sacramentali, sicut contritio, confessio, & absolutio: Ergo tam bene esset pars essentialis Sacramenti poenitentiae, quam tres illi actus qui tale Sacramentum intrinsecè & essentialiter constituunt.

42. Respondeo negando sequelam Majoris, & ad ejus probationem dico, quod licet satisfactio substat significationi Sacramentali, quia tamen non substat significationi essentiali, sed integrali, ex eo quod non significat gratiam huic Sacramento essentialem, sed augmentum ejus & perfectionem, non est pars essentialis, sed duntaxat integralis Sacramenti poenitentiae. Unde in forma distingo Majorem: Illud quod substat significationi Sacramentali essentiali, est pars essentialis Sacramenti poenitentiae, concedo Majorem. Illud quod substat significationi Sacramentali integrali duntaxat, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

43. Obijciunt quarto, ex nostra sententia & doctrina sequi tria inconvenientia. Primum est, quod Sacramentum poenitentiae erit Sacramentum vivorum, saltem quantum ad satisfactionem, quandoquidem gratia quam per satisfactionem Sacramentalem producat, erit augmentum alterius quæ per alias partes ejusdem Sacramenti producat. Secundum est, quod ille qui in peccato mortali adimpleret poenitentiam sibi injunctam, peccaret mortaliter, utpote cum eo

ipso poneret obicem gratiæ Sacramentali quæ est effectus satisfactionis. Tertium est, quod qui poenitentiam in prædicto ita impleret, cum sola attritione justificaretur, & fieret de eorum contritus, ac si Sacramentum poenitentiae de novo reciperet.

Respondeo nullum ex tribus illis inconvenientiis sequi ex nostra doctrina. Non quidem primum, quia ratio Sacramenti vivorum vel mortuorum, non desumitur penes illum gradum gratiæ, qui est complementum gratiæ principalis, sed tantum penes ipsam gratiam principalem. Nec etiam secundum, quia licet satisfactio Sacramentalis novum gradum gratiæ ex opere operato tribuat, eo ipso tamen quod talis gratia non sit gratia essentialis Sacramenti poenitentiae, sed tantum ejus complementum & perfectio integralis, non peccat mortaliter qui tali gratia obicem ponit, sed solum qui ponit obicem gratiæ essentiali. Tertium denique inconveniens nullo modo sequitur ex nostra doctrina: Tum quia reddere de attrito contritum, est proprietas totius Sacramenti poenitentiae, non vero proprietas ejus scilicet: Tum etiam, quia cum satisfactio novum gradum gratiæ non tribuat, nisi virtute absolutionis Sacerdotis quæ præcedit, ad quam dicitur habitudinem; absolutio vero non se extendat ad peccatum in quo satisfactio adimpletur, utpote quod commissum fuit post absolutionem, nequit solum attritus de illo peccato virtute satisfactionis Sacramentalis pro præcedentibus peccatis, de illo fieri contritus, & justificari.

§. III.

Corollaria præcedentis doctrinae.

EX dictis colligitur primum, teneri Sacerdotem, auditâ Confessione, satisfactionem non vulgò poenitentia appellatur, poenitentiam imponere: nec satis esse quod qualemcumque imponat, sed teneri injungere aliquo modo proportionatam gravitati criminum & eorum multitudinibus, quæ etiam dispositioni & conditioni poenitentis, nisi rationabilis causa excuset.

Prima pars hujus corollarii patet, cum enim Confessarius sit minister Sacramenti poenitentiae, tenetur efficere illud integrum: Aquilatio factio est pars integralis Sacramenti poenitentiae, ut in prima conclusione ostensum est: Ergo tenetur Confessarius auditâ Confessione satisfactionem poenitentis injungere. Inter enim aliqua injuria Sacramento, si pars integralis sine causa mitteretur; ut si quis in Extrema Unctione sine causa omitteret aliquam sententiam satisfactionem.

Quod verò teneatur Sacerdos ad servandam æquitatem, injungendo satisfactionem pro criminum qualitate, & poenitentium facultate, ut ut nequeant pro libito gravem aut levem satisfactionem pro quibusvis peccatis injungere, patet ex Tridentino sess. 14. cap. 3. ubi sic dicitur: *Debet sacerdos Domini, quantum Spiritus sancti prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & poenitentium facultate, salutaris & convenientis satisfactiones injungere. Sive si forte peccata innovent, & indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participi cavetur.*

Ratio etiam suffragatur: Sacerdos enim in hoc

tribunali sunt ordinarii iudices à Christo constituti, non minus ad causas Dei quam poenitentium agendas: iudices autem tenentur secundum leges à supremo principe sibi constitutas judicare: Ergo tenentur Sacerdotes perpensa gravitate criminum, & poenitentium facultate, condignas & salutaris poenitentias illis injungere.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Sacerdos in tribunali poenitentiae tria agit munia seu officia, non solum enim est minister hujus Sacramenti, sed præterea iudex & medicum agit; in quantum minister, debet efficere Sacramentum integrum, subindeque aliquam injungere poenitentiae satisfactionem, cum satisfactio sit pars integralis hujus Sacramenti, in quantum verò medicus, debet vulnera poenitentis curare, & per consequens salutem, ac morbis animæ suæ sanandis convenientem poenitentiam injungere, ut iudex verò, debet servare æquitatem, ac proinde condignam & proportionatam gravitati criminum injungere poenitentiam.

Dixi, nisi rationabilis causa excuset, quia ex causa rationabili potest interdum Confessarius poenitenti levioris satisfactionem injungere. Est autem rationabilis causa, primò si poenitens gravi morbo sit oppressus, secundò si lucratur indulgentiam plenariam, si nimirum periculum esset ne deinde aliquod peccatum mortale subiceret in aliis confessionibus, vel ne detereretur à confessione, vel ut non impleteret poenitentiam injunctam: cum in hoc Sacramento magis intendi debeat salus poenitentis & ejus emendatio, quam satisfactio pro pena, utpote cum id cedat in majorem Dei gloriam, qui potissimum vult salutem peccatoris, & alias nihil propterea de satisfactione Deo debita pro pena temporalis excidat, quia si peccator in præsentis vita non plenè satisfaciatur, solvet in alia usque ad novissimum quadrantem. Unde Gerson in regul. moral. cap. de poenitentia, dicit rursus esse cum parva poenitentia, quæ sponte suscipitur, & verisimilius adimplebitur, ducere confessos in purgatorium, quam cum magna non implenda præcipitare in infernum. Et Cajetanus in Summa, verbo satisfactio, ait debilitate disposito poenitendi dandam esse satisfactionem parvulam, ut parvulus ignis foveatur appositâ paleâ, nec suffocetur apposisis lignis desuper.

Sunt etiam plures Doctores qui existimant, quod si constet Sacerdoti poenitentem ante Confessionem sufficienter satisfacisse pro peccatis, non teneat ullam satisfactionem illi imponere: si enim (inquiunt) quò major præcessit in poenitente pro suis peccatis satisfactio, eò minorem potest Confessarius poenitentiam imponere, si præcessit condigna, poterit nullam imponere. Neque enim (subdunt) semper est de integritate iudicii hujus Sacramentalis satisfactio & injunctio poenæ, sed tunc solum quando reatus aliquis poenæ solvendus superest, & punctio exercenda. Hæc sententia probabilitate non caret, hunc tamen casum planè metaphysicum esse existimo, cum vix unquam citra revelationem constare possit Sacerdoti, quod poenitens omnino perfecte satisfecerit.

46. Colligitur secundò ex dictis, teneri poenitentem poenitentiam sibi à Confessario injunctam acceptare, & acceptam adimplere, quidquid in contrarium doceant Cajetanus, Navarrus, & alii, dicentes poenitentem remittere posse solutionem

A poenæ temporalis in aliam vitam. Patet etiam hoc corollarium ex dictis, tum quia poenitens non minus quam Sacerdos tenetur facere Sacramentum poenitentiae integrum. Tum etiam, quia potestas in iudice & superiore ad injungendum, & obligatio in inferiore ad obediendum, correlativa sunt: Sed in Sacerdote est potestas ligandi poenitentem, injungendo ei satisfactionem, ut constat ex Tridentino sess. 14. cap. 8. ubi sic ait: *Habeant præ oculis (Sacerdotes) ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novam vitam custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad prætorum peccatorum vindictam, & castigationem: nam claves Sacerdotum non ad absolvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam anti-*
 B *qui Patres, & credunt & docent.* Ergo in poenitente est obligatio acceptandi poenitentiam à Sacerdote injunctam, & adimplendi acceptam. Unde ad id quod dicunt Cajetanus & Navarrus, posse poenitentem remittere solutionem poenæ in aliam vitam, respondendum est, hoc esse verum absolute, spectata lege naturæ, fallum verò in nova lege, & supposita institutione Sacramenti poenitentiae, in quo datum est sacerdotibus iudicium de peccatis, & poenis pro illis subeundis.

Ex his sequitur primò, cum quis sponte venialia subijcit Sacramento poenitentiae, teneri acceptare & adimplere poenitentiam sibi injunctam; quia licet nullus teneatur peccata venialia confiteri, supposito tamen quod aliquis ea confiteri velit, & clavibus Ecclesiae subijcere, tenetur ad præstandum quidquid ad essentiam vel integritatem Sacramenti necessarium est.

Sequitur secundò, non esse à Confessario absolvendum, poenitentem illum, qui ita dispositus est, ut nullam poenitentiam ab illo acceptare velit, dicens se velle remittere solutionem poenæ temporalis ad aliam vitam; ille enim non est ad hoc Sacramentum dispositus, cum præstare nolit id quod requiritur ad ejus integritatem.

Sequitur tertio, non posse poenitentem propria auctoritate commutare sibi poenitentiam à Confessario injunctam in evidentem meliorem: Tum quia cum non exequatur sententiam iudicis, non satisfacit ejus præcepto; sicut non satisfacit Ecclesiae præcepto, qui loco jejunii ad quod obligatur, facit alia meliora. Tum etiam, quia illud aliud opus, cum non sit ei in iunctum virtute claudum, rationem satisfactionis Sacramentalis habere nequit.

Sequitur quarto, poenitentem teneri, quamprimum commodè potest, vel saltem antequam novam Confessionem faciat, poenitentiam sibi injunctam adimplere; quia antequam ad novum Sacramentum conficiendum accedat, tenetur præcedens perficere. Qui verò ex oblivione vel negligentia poenitentiam injunctam suo tempore non adimplevit, alio tempore illam adimplere tenetur; nisi injuncta fuerit à Confessario ut certo die adimplenda: puta jejunium in vigilia Nativitatis B. Virginis; tunc enim si die illa non jejunavit, non teneatur alio die jejunare, sed tantum de immisione dolore, eamque suo tempore confiteri; quia talis poenitentia est addicta certo tempore, quo elapso, non amplius obligat; sicut quia præceptum de recitando officio, vel de audiendo sacro, certo tempore addictum est, eo elapso non amplius obligat. A fortiori non tenetur poenitens facere aliam poenitentiam, si ad eam quæ sibi à Confessario imposita est fiat impotens, ut si propter infirmitatem fiat impotens

ad impositum jejunium exequendum, non tenetur elemosynam facere, vel orare.

47. Tertiò ex supra dictis colligitur, satisfactionem Sacramentalem in peccato adimpletam non sortiri suum effectum, quandiu poenitens est in statu peccati, bene tamen postea, quando tollitur fictio.

Prima pars hujus corollarii patet ex dictis conclusionibus secunda, nam ut ibi ostensum est, precipuus & primarius effectus satisfactionis Sacramentalis, à quo ceteri minus principales (ut sunt remissio poenae temporalis, & collatio auxiliorum ad evitanda imposterum peccata) dependent, est augmentum gratiae habitualis: Sed tale augmentum poenitenti conferri nequit, quandiu est in statu peccati, cum augmentum gratiae primam ejus infusionem supponat: Ergo satisfactio Sacramentalis in peccato mortali adimpleta, suum effectum habere nequit.

Quod verò illum postea habeat, quando poenitens per contritionem, vel per attritionem cum Sacramento, fictionem tollit, patet ex eo quod satisfactio ut pars Sacramenti, imitari debet naturam totius: Ad Sacramentum poenitentiae, si contingat esse informe, recedente fictione, confert suum effectum ex opere operato, ut supra disp. 10. art. 1. ostensum est: Ergo & satisfactio.

48. Ex hoc corollario sequitur aliud, nempe satisfactionem Sacramentalem ex malo fine veniali, puta ex vana gloria, impletam, conferre suum effectum ex opere operato; sed è vero illam quae fit ex fine mortaliter malo, quia augmentum gratiae & charitatis non est impossibile cum peccato veniali, bene tamen cum mortali.

Confirmatur: Eodem proportionali modo philosophandum est de satisfactione Sacramentali, ac de Confessione Sacramentali: Sed Confessio Sacramentalis ex malo fine veniali facta, non privatur suo effectui ex opere operato, bene autem illa quae fit ex fine mortaliter malo: Ergo & satisfactio Sacramentalis.

49. Demum ex supra dictis colligitur, satisfactionem Sacramentalem suum effectum ex opere operato non conferre ante absolutionem, quamvis ante illam impleta fuerit. Ratio est, quia satisfactio Sacramentalis nequit suum effectum ex opere operato conferre, nisi ut pars integralis Sacramenti: Sed nequit esse pars integralis Sacramenti, nisi supponat Sacramentum essentialiter constitutum, scilicet absolutione sacra: Ergo nequit ante illam suum effectum ex opere operato conferre. Minor probatur: Pars integralis pendet ab essentiali, nisi enim sit essentia Sacramenti, nequit esse pars integralis illius, sicut nequit esse pars integrans hominem, nisi supponat essentialiter hominem constitutum.

ARTICULUS IV.

An possit unus Confessarius tollere vel saltem commutare poenitentiam ab alio prius impositam?

50. **F**atentur omnes quod si poenitentia ab uno Sacerdote prius injuncta, non fuerit rationabiliter & cum discretionem imposita, poterit alius Sacerdos, licet ei non superior, poenitentiam illam commutare vel moderari. Tum quia Sacerdos ex vi clavium non habet potestatem im-

nendi poenitentias irrationabiles, & falsis menti improporcionadas. Tum etiam, quia actus, non est actus jurisdictionis, sed potestatis; unde in eo casu non solum Confessarius, verum etiam alius quisvis homo doctus, per rationem consilii poenitentiam illam inconsulenter & in loquuntur Theologi) errantem classe impositam, moderari potest. Solum igitur contraveniens, an quando poenitentia proportionatur non poenitenti, quam facultati poenitentis, ac proinde non ad sui executionem obligat, potest ex rationabili causa ab alio Confessario mutari? Negant S. Trinitas, Nugno, Ledesma, & Philippus à S. Trinitate. Affirmant Sylvester, Suarez, Vazquez, S. Thomas, Candidus, & alii. Addunt Navarrus, Henríquez, Valentia, & Sa, id posse fieri etiam in Confessione, & non auditis peccata pro quibus talis poenitentia fuit injuncta. Quia utraque censent Navarrus, Henríquez, & Candidus, inferiori Sacerdotem mutare posse poenitentiam impositam à superiore, propter peccata reservata. Pro resolutione difficultatis, & probabilioris sententiae explicatione.

Dico primò, nullus Sacerdos, si inferior, sit aequalis, si superior, potest poenitentiam ab alio injunctam omnino tollere.

Probatur ratione fundamentalis: Sacramentum poenitentiae debet indispensablem esse integrum, cum hac integritate sit de jure divino, à Christi institutione: At si Sacerdos aliquid poenitentiam ab alio injunctam omnino tolleret, sacramentum non esset integrum, quia careret satisfactione quae est pars ejus integralis: Ergo nullus Sacerdos si inferior, si aequalis, si superior, potest poenitentiam ab alio injunctam omnino tollere.

Dico secundò, Quisvis legitimus Confessarius mutare potest poenitentiam ab alio impositam propter peccata non reservata; sed non in Confessione, & auditis peccatis pro quibus imposita.

Prima pars probatur: Poenitentia habet jurem peccata uni confessa, alteri iterum committendi: Ergo quilibet legitimus Confessarius habet potestatem ea judicandi & condigna poenitentia puniendi: At poenitens non tenetur duplicem de iisdem peccatis condignam satisfactionem habere, nec adhuc rationabiliter cogi potest: Ergo potest ex causa rationabili, relicta poenitentia prius Confessarii, exequi poenitentiam posterius.

Confirmatur: Potest superior poenitentiam à inferiori injunctam commutare, ut tenetur Absolvere: Ergo & quilibet alius legitimus Confessarius id similiter potest. Probatur consequenter, quia licet respectu jurisdictionis unus Sacerdos alteri superior sit, respectu tamen jurisdictionis Sacramentalis omnes Sacerdotes jurisdictionem habentes, sunt aequales, cum omnes aequalem à Deo accipiant potestatem in susceptione Ordinis: Sed Confessarius non injungit poenitentiam Sacramentalem, nisi ut iudex in hoc foro à Christo constitutus in Ordinis susceptione: Ergo omnes legimi Confessarii, quantum ad potestatem imponendi vel commutandi poenitentiam Sacramentalem, pro peccatis non reservatis, sunt aequales; unde distinctio illa Judicis superioris & inferioris non valet in proposito, nisi quantum ad poenitentiam pro peccatis reservatis injunctam, quia reservata peccatorum non est actus potestatis Ordinis, sed jurisdictionis, in qua Sacerdotes & Confessarii sunt inaequales.

Dices, Non potest Confessarius in foro interiori sententiam alterius sibi æqualis revocare sicut in foro exteriori nequit unus Iudex, nisi sit superior, mutare sententiam alterius, quia ut communiter dicitur, par in parem non habet imperium. Ergo non potest Confessarius penitentiam ab alio Confessario sibi æquali in iunctam commutare.

Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiā; Confessarius enim commutando penitentiam non revocat propriam sententiam alterius sibi æqualis à quo in iuncta fuit, sed profert suam, & penitentem liberum relinquit cui voluerit se submittere; unde in eod casu unus Confessarius non exerceat jurisdictionem supra alium, sed si pra penitentem, in cuius gratiam institutum est hoc Sacramentum. Nec est eadem ratio de Iudice fori exterioris, tum quia tale forum in favorem rei non est institutum, sicut Sacramentum penitentiae; tum etiam, quia cum mutatio sententiae in tribunali forensi fiat in foro exteriori, minueretur fama alterius Iudicis mutatio verò sententiae sacrae, cum fiat in foro interiori conscientiae, nullam potest inferre injuriam vel famae diminutionem Confessario qui penitentiam imposuit.

Secunda pars conclusionis, quae asserit Confessarium non posse mutare penitentiam ab alio impositam, nisi in confessione, & auditis peccatis propter quae fuit imposita, probatur breviter contra Navarrum, & Henricum, aliosque Auctores supra citatos: quia commutatio illa penitentiae est actus judicialis: Sed actus judicialis exerceri non potest incognita causa: Ergo non potest Confessarius mutare penitentiam ab alio impositam, nisi auditis prius in confessione peccatis propter quae fuit imposita.

Confirmatur. Cum ad commutandam penitentiam necessarium sit unam relaxare & aliam imponere, eadē est potestas imponendi & commutandi, & utraque procedit ab eadem virtute clavium: Sed penitentia Sacramentalis nequit injungi nisi in ipso tribunali confessionis: Ergo nec commutari.

Dico secundò, inferior Sacerdos non potest mutare penitentiam impositam à superiore propter peccata reservata.

Probatur contra eosdem Auctores: Eadem est potestas imponendi & commutandi penitentiam, & utraque procedit ab eadem virtute clavium, ut supra dicebamus: Sed inferior Sacerdos non potest imponere penitentiam pro peccatis reservatis, cum ab illis non possit absolvere: Ergo nec potest commutare penitentiam pro peccatis reservatis à superiore in iunctam.

Confirmatur: Vt Sacerdos possit commutare penitentiam pro aliquibus peccatis in iunctam, debet posse de illis ferre iudicium seu sententiam cum commutatio illa penitentiae sit actus judicialis: Sed non potest Sacerdos inferior ferre iudicium de peccatis superiori reservatis: Ergo nec penitentiam pro illis in iunctam commutare.

Dices, per absolutionem superioris sublata fuisse reservationem, ea verò sublata, peccata illa eodem modo se habere ac si nunquam fuissent reservata, atque adeò posse Sacerdotem inferiorem ferre de illis iudicium, sicut de non reservatis.

Sed contra: Licet penitens à peccatis reservatis fuerit à superiore absolutus, non propterea tamen eodem modo se habet Sacerdos inferior in

ordine ad reservata, ac circa non reservata in illa enim per accidens tantum & ex suppositione prioris iudicii facultatem habet, per se autem in non reservata, unde potest penitentiam pro non reservatis in iunctam commutare, non vero impositam pro reservatis, quia sicut in materiam precedentis iudicii in quo reservatio sublata est non habet jurisdictionem, sic neque in sententiam prolatam, & impositionem penitentiae factam à praelato, in huiusmodi enim penitentis à Praelato pro reservatis impositis, involvitur tacitum preceptum, ne possint ab aliis commutari nisi urgente gravi necessitate, & ad superiorem recursus non facile pateat.

ARTICULVS V.

Utrum possit unus pro alio satisfacere

Notandum primò, satisfactionem aliam esse sacramentalem, quae per modum partis integralis ad constitutionem sacramenti Penitentiae requiritur; aliam absolutam, & non sacramentalem, per quam homo operibus à Sacerdote non in iunctis, conatur aliquam pro poena temporali peccatis remissis debitam tribuere Deo compensationem.

Notandum secundò, ut inique satisfactio nem dupliciter considerari possit, nimirum ut medicinam & remedium peccati, & ut compensationem poenae in purgatorio debitae. His praemissis, pro resolutione difficultatis propositae.

Dico primò, unus non potest pro alio satisfacere, si satisfactio consideretur ut medicina & remedium peccati. Ita D. Thomas hic qu. 13. art. 2.

Probatur, quia medicina recipi debet & soler in eo tantum subiecto in quo est morbus; neque morbus unius sanatur per remedium alteri applicatum. Ergo satisfactio in ratione medicinae solum prodest satisfaciendi, subindeque non potest unus pro alio satisfacere, si satisfactio ut medicina & remedium peccati consideretur.

Dico secundò, unus potest pro alio satisfacere, si satisfactio consideretur ut est compensatio poenae in purgatorio debitae. Ita D. Thomas ibidē & constat tum ex articulo fidei quo credimus communionem Sanctorum; hunc enim articulum semper intellexit Ecclesia hoc sensu, ut bona opera existentium in gratia & charitate, communia sint omnibus, & invicem mutuum praestent commodum & utilitatem, etiam per modum satisfactionis pro poenis in purgatorio debitis. Tum ex Tridentino sess. 25. cap. 1. ubi docet animas in purgatorio detentas, multum juvari suffragiis, orationibus, aliisque bonis operibus vivorum in charitate existentium. Colligitur etiā ex illo Apostoli ad Coloss. 1. *Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia.* Quae verba, licet plures sensus admittere possint, de tamen qui facit ad propositum, & quem tradunt, Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus, & D. Thomas ibidem, & Augustinus in psalm. 61. & 86. est ut Apostolus velit dicere, se non solum sustinuisse passionem suam in carne sua, ut conjunctae Christi passionibus sibi prodescent, sed etiam universae Ecclesiae, seu corpori totius Ecclesiae, pro qua Christus pati voluit, non solum in se, sed etiam in membris suis.

Ratio etiam suffragatur: Omnes enim sumus unius

M m

unius

unius corporis membra, unde sicut in corpore humano, unumquodque membrum, non in suam tantum, sed in aliorum etiam utilitatem operatur; ita in mystico Ecclesie corpore, membra quae viva sunt & utiliter operari possunt, sibi invicem mutuum praestant commodum & utilitatem, bonaque sua opera poenalia & satisfactiones sibi invicem communicant, juxta illud Psalmista: *Patericeps ego sum omnium timentium te & custodientium mandata tua.* Unde Apostolus ad Ephes. 5. nos admonet, ut quemadmodum Christus caput nostrum pro suo corpore se tradidit, ita & unumquodque membrum se tradat pro alio. Et ad Galat. 6. ait: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

63 Nec obstat quod ibidem paulo post subjungat: *Unusquisque onus suum portabit.* Sicut enim lib. de consensu Evangelistarum cap. 30. ante medium Augustinus interpretatur, & ex eodem Beda in Epist. ad Galat. *Nisi oneris nomen sub diversis significationibus acceperis, proculdubio putabis eundem sibi in loquendo esse contrarium, & hoc in sua sententia tam victis positus verbis: quicquid paulo ante diceret: Alter alterius onera portate, postea dixit, Unusquisque proprium onus portabit. Sed alia sunt onera participanda infirmitatis, alia reddende rationis Deo, alia nobis. Illa cum fratribus sustinenda communicantur: Haec propria ab unoquoque portantur.* Sensus est, quod quantum ad meritum vel demeritum, unusquisque proprium onus portat, propter suum opus bene vel male factum, remuneratur solus, vel puniatur: Sed quantum ad id quod est alienam infirmitatem ferre condolendo, compatiendo, & pro poenis temporalibus, peccatis aliorum debitis satisfaciendo, unus portare potest alterius onus. Unde in vitis patrum lib. 5. qui de fornicatione inscribitur, numero 27. dicitur quod unus frater innocens, fingens se fornicatum fuisse, poenitentiam egit pro alio qui reipsa fuerat fornicatus; & peccatum quod iste commiserat, ipsi fuit remissum.

64 Pro majori autem huius conclusionis intelligentia, advertendum est, duobus modis fieri posse quod unus satisfaciatur pro alio, immediate scilicet, exhibendo pro poenis debitis peccato alterius condignam satisfactionem, seu applicando poenam temporalem quam in exercitio alicujus operis patitur, pro compensatione poena tempo-

A ralis quam alter pro peccato quoad culpam & poenam aeternam remisso solvi debet, & modo impetrando scilicet alteri auxilium quo per propriam satisfactionem, & per propria opera poenalia, pro poena temporalis debita, peccatum suum faciat. Utroque modo potest unus fidelis pro aliis fidelibus viventibus satisfacere, pro poenis vero in purgatorio existentibus, solum primo modo, quia cum illa sint extra statum vitae, non possunt per suas operationes & passionum Deo satisfacere, sed tantum satisfaci.

Dico tertio, unus non potest satisfacere pro alio, satisfactione sacramentali.

Probat: Ex Tridentino sess. 14. cap. 3. materia hujus sacramenti sunt ipsi actus poenitentiae, qui virtute clavium elevantur ad esse sacramenti. Ergo actus satisfactorij ab alio elicti, non sunt apta materia virtute clavium elevandi ad esse sacramenti.

Dices primo, Confessarius potest poenitentiam injungere poenitentiam per alium exequendam ad petitionem ipsius poenitentis, ut communiter docent Theologi: Ergo potest unus satisfacere pro alio, satisfactione sacramentali.

Sed nego Consequentiam, nam in tali causa opus illud satisfactorium, si confideretur prae se ut fit ab alio, non est pars sacramenti, sed solum fit ex poenitentis ipsius petitione, quare talis petitio est formale in hac satisfactione, opus autem satisfactorium alterius est materiale illius, ordinatum ab ipso poenitente, unde semper habet quod satisfactio sacramentalis, quantum ad formale, est actus poenitentis.

Dices secundo, Eleemosyna facta per famulum ex imperio vel consensu domini, censetur esse actus ipsius domini: Ergo similiter poenitentia impleta ab alio ex imperio vel consensu ipsius poenitentis, censetur esse actus ipsius poenitentis, subindeque apta materia hujus sacramenti.

Respondeo negando etiam Consequentiam. Eleemosyna enim fit à domino principaliter, à famulo autem non nisi instrumentaliter, cum illam non largiatur ex bonis suis sed domini poenitentia vero ex imperio vel consensu poenitentis impleta ab alio, fit ab illo ut à causa principali, quia ex propriis operationibus, puta confessione aut peregrinatione, qui sunt actus proprii peregrinantis vel orantis, non vero ipsius poenitentis.